Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8319
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Alia causa institucionis ex serie textus Luce et aliorum elicitur que est singularis notanda scilicet quod Christus accepit panem gracias agens fregit dedit discipulis suis dicens Accipite et comedite hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur secundum Lucam hoc facite in meam commemoracionem volens ostendere quod corpus suum unum tradendum erat pro illis ut scilicet ipsis vitam daret sicut panis ille qui fuit corpus suum fuit unus et divisus pro quolibet et quilibet ex eo comedens refectus sic de calice Unde sicut Christus vita vivificans totum corpus fidelium in unitate vite unit ut ipse sit vita et fideles corpus sic instituit hoc sacramentum ut in ipso ipse sit cibus vite et participantes de uno pane unum corpus Christi de uno pane vite reficiuntur Unde voluit Christus quod in memoriam illam quod traditus est ipse qui vita est pro fidelibus panis consecratus deberet et tradi fidelibus Unde notandum quod ad fidelem requiritur ut de corpore Christi participet quod est in sacramento panis ut se sic fateatur memoriam tradicionis Christi pro eo here et hoc in unitate corporis Christi mistici in quo corpore existendo participat de pane fidelium et sunt omnes illo corpore mistico in unitate Christi qui in sacramento participat Non enim sufficit dileccio proximi nisi illa sit eciam in deo Unde res sacramenti est de necessitate salutis scilicet ut sis continue in unitate corporis Christi et capitis scilicet Christi alias non potes esse in vita Deinde oportet ut huius unitatis sacramentum recipias ut vere ostendas te credere incorporacionem illam esse de necessitate salutis etc.

Due sunt cause institucionis sacramenti una tangitur in evangelio quod Christus datus est pro mundi vita in hoc est mea iustificacio et vita hec oblacio via remuneracionis denotatur modo quo potest conferre etc.

Sequitur alius sermo de eodem